MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS III: 1.5. 1.7.)

Melk, 1458

Seite 172r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

quidam homo erat senex et sanctus Christi miles qui Lugudius nocitabatur, iustus et sapiens. Hic itaque primo mane audita eque Christiano militi suam enarravit visionem cum ingenti gemitu dicens: Hac preterita nocte media sanctus Columba multarum columna ecclesiarum ad dominum transiit. Et in hora beati exitus eius Iouam insulam ad quam corpore numquam perveni, totam angelorum claritudine in spiritu vidi irradiatam, totaque spacia aeris usque ad ethera celorum eorundem angelorum claritate illustratam, qui ad sanctam ipsius animam preferendam de celis missi descenderant innumeri. Altisona quoque carminalia et valde suavia audivi angelicorum cetuum cantica eodem momento egressionis inter angelicos sancte ipsius anime ascendentium choros. Hanc angelicam manifestacionem Virgnous ut predictum est, qui ab ore illius sancti senis cui revelata erat indubitanter didicerat, hisdem diebus de Scotica remigans Himba in insula reliquis diebus vite sue permanens sancti Columbe monachis sepius enarrabat. Qui videlicet Virgnous post multos in subiectacione inter fratres irreprehensibiliter expletos annos alios xii in loco anachoretarum in Muirbulcmar vitam ducens anachoreticam Christi victor miles explevit. Hanc predictam visionem non solum paginis inscriptam repperimus, sed et ab aliquibus expertis senioribus quibus ipse Virgnous retulerat sine ullo didicimus cunctamine. Eadem quoque hora aliam visionem aliter revelatam unus ex eis qui viderant Christi miles valde senex cuius nomen etiam potest dici Ferreolus, qui inter aliorum sancti Columbe monachorum reliquias et ipse sanctus mo-

nachus in dorso Thome sepultus cum sanctis resurrectionem expectat, mihi Adomnano illo in tempore iuvene cum grandi retulerat testificatione dicens: Illa in nocte qua sanctus Columba de terris ad celos felici et beato fine transiit, ego et alii mecum viri laborantes in captura piscium in valle piscosi fluminis Fende, subito totum aerei illustratum celi spacium vidimus. Cuius miraculi subitacione permoti oculos ad orientem elevatos convertimus, et ecce quasi quedam pergrandis ignea apparuit columna, que in illa nocte media sursum ascendens ita nobis videbatur mundum illustrare totum sicuti dies estivus et meridianus sol. Et postquam illa penetravit columna celum, quasi post occasum solis tenebre succedunt. Huius itaque claritudinem luminose et predicabilis columne non tantum nos qui simul in eodem loco ineramus cum ingenti ammiracione vidimus, sed et alii multi piscatores qui sparsim per diversas fluminales piscinas eiusdem fluminis piscabantur, sicut nobis postea retulerunt, simili apparicione visa magno pavore sunt perculsi. Harum igitur trium miracula visionum eadem transitus hora venerandi apparencium patroni eternos ei adeo collatos prestant honores. Nunc ad propositum revertamur. Interea post sancte egressum anime ymnis matutinalibus terminatis, sacrum corpus de ecclesia ad hospitium unde paulo ante vivens venerat cum canora fratrum reportatur psalmodia, honesteque ternis diebus et totidem noctibus honorabiles rite explentur exequie. Quibus in dei sapientibus laudibus terminatis, sancti et beati patroni venerabile corpus mundis involutum sindonibus et prepara-